



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Explicit se ab Aula.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

Hoffæus, ad quem delectum mittendi Sacerdotis Euerardus reiecerat, veritus ne is, quem mitteret, nimis diu retineretur, & paulatim ipse quoq; sic adhæresceret, vt perægrè abstrahi posset, Canisii mittendum putauit. Abiit igitur paulo post dimidiatum septembrem anni 1579. Accidit supra vota Comitibus viri talis aduentus. Ille Comites ambos virum, & vxorē, diuinis mysteriis familiā eorum, aliosq; complures procurauit: eosdemq; ac populum doctrina salutis instituit: multa priuatum, ac publicè ad pietatem vel correxit, vel addidit, gratus in dies magis, ac fructuosus. Quo grauius certamen exarsit, vbi mentio facta est remigrationis. Ceterum quia agendum cum viro fuit, qui nullam ad prehendendum dabat ansam, & quicquid collegerat autoritatis, & gratiæ id omne conferebat eo, vt cum bona pace mitteretur, abeundi veniam demum vel elicuit, vel expressit. Cogitabat enim Generalis Congregatio-
nis decreto esse parendum, quæ diutinas id genus commorationes vetat: deinde prouidendum nemoræ longioris exemplum societatis rebus apud alios Magnates officeret. Quam rem vbi cognovit Præpositus Euerardus, ita probauit, vt Canisio gratu-

*Explicat se ab
aula.*

gratulatus his verbis sit. Gaudeo, & gratulor quod Reuerentia Vestra Comitissæ Curia expedita ad nos tres mature redierit, viceritque omnes eorum, qui illam retinere conabantur, preces. Quo animo si essent omnes nostri, qui aulas frequentant, non tantum nobis molestiae aliquando affarent, & certè cum ipsis etiam Principibus nullum nobis, aut exiguum esset negotium. Quare quod Reuerentia vestra valde nos hortatur, ut quam maximè Aulas à societate propulsemus, e- quidem puto hoc me affirmare posse, nemini me concedere, ut id ardenter ex animo exoptet.

*Laudatur ab
Euerardo Pre-
posito Generali.*

Annum in sequentem seculi octogesimum partim adiutor Prouinciali, partim etiam Vicarius egit, cum Hoffæus adulto iam vere in Heluetiam abiisset. Deinde cum Gregorius Pontifex Brixiensi Episcopo Delphino, quem ad Conuentum Norimbergæ instantem mittebat, Theologum de Societate iussisset adiungi, ipse Canisius ex Episcopi delectu destinatus est. Sed conuētu illo dilato primum, mox alio translato, pro Norimberga Friburgum in Heluetiam extremū sub annum petiit, ubi demum finem peregrinādi fecit. Hæc pars ultima, & quasi supremus actus

1580.

*Friburgum
Helvetorum
mittitur,*

q

Vitæ